



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Petri Chrysologi Archiepiscopi Ravennatis, viri  
eruditissimi atque sanctissimi, Sermones In Evangelia De  
Dominicis & festis aliquot solemnioribus totius anni,  
insignes & peruetusti**

**Petrus <Chrysologus>**

**Lvgdvni, 1623**

In diuum Stephanum protomartyrem, Sermo CLIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50232)

rapuit & coronas. Sed quid dicemus quod Rex ipse qui stare debuit, fugit solus, & fugit monente patre? Fugere istud est amoris intimi, non timoris ignaviae. Si steterisset Christus, haberet eos synagoga filios, hos Ecclesia martyres non haberet.

*In diuum Stephanum protomartyrem, Sermo C L I V.*

**S**icut dominum praediorum limitibus affixi tituli sproloquuntur, ita nomina ipsa saepe sanctorum merita indicant, testantur insignia. Ita Abraham, quod fide credidit, nominis adiectione monstrauit: quando ex Abram Abraham diuinitus nuncupatur: ut dilatandus genere, nomine ante dilataretur, dicente domino: Et non vocabitur amplius nomen tuum Abram, sed Abraham erit nomen tuum, quia patrem multarum gentium posui te. Sic coniunx sancta eius cum de sterili fit foecunda, ex Sarai vocitata est Sarah, ut & ipsa ante crescat nomine, quam crescat pignore, & quia promittente domino risum credidit, si vetula conciperet exarata iam rugis, si pareret desperata iam foecunditas, si sterilitas iam penes senectutis extrema praegnans fieret, risum mox quod genuit, nuncupauit: & hoc aptauit in nomine, quod sensu passa est cum rideret, & vocauit nomen eius Isaac, quod interpretatur risus. Sic Iacob, qui in utero cepit ante luctari, quam viuere: ante viribus superare, quam membris: etiam inter viscera materna ipsa supplantatoris est vocabulum consecutus, eo quod antequam nasceretur, noscitur diuinitus reprobatum supplantasse germanum. Et quia longum est ire per singula: sicut Petrus a petra nomen adeptus est, quia primus meruit Ecclesiam fidei firmitate fundare: ita Stephanus vocatus est a corona, quia primus meruit

Gen. 17.

Gen. 21.

Gen. 25.

meruit pro Christi nomine subire conflictum, primus meruit sanguine militum Christi martyrium dedicare. Petrus Apostolici sui chori vetustum teneat principatum, aperiat intrantibus regnum cœlorum, reos potestate vinciat, pœnitentes clementer absoluat: Stephanus est martyrū primus, Stephanus purpuratum ducit exercitum, qui pro domini sui adhuc calente sanguine, sanguinem suum avidus bellator effudit. Et quia cruore proprio tinctam sibi ipse purpuram conquisiuit: merito à rege suo consecutus est, post coronam, qui iam cum nasceretur nomen sortitus est à corona: vere quem præsciuit & prædestinauit, ipsum nunc martyrij primum vocavit ad gloriã.

*De Calendis Ianuariis, quæ varia gentium superstitione polluebantur, Sermo C L V.*

**V**bi nostram Christus piè natus est ad salutem, mox diabolus diuinæ bonitati numerosa genuit, & perniciofa portenta, ut ridiculum de religione componeret, in sacrilegiū verteret sanctitatē, de honore Dei Deo pararet iniuriam. Hinc est fratres, hinc est quod hodie Gētiles Deos suos fœditatibus exquisitis, excogitato dedecore, & ipsa turpitudine turpiores Deos suos vidēdos trahūt, distrahunt, pertrahūt, quos faciunt nō vidēdos. Quæ vanitas, qualis dementia, quāta cæcitas, fateri deos, & eos ludibriis infœlicibus infamare? Irrisores sunt, cultores non sunt, qui deos quos venerantur, illudunt: iniuriis afficiunt, non honorant, qui deos à quibus se formatos existimant, sic deformant, confundunt, non glorificant, qui eos de ipsa confusione componunt. Vere, sicut ait Apostolus, quia nō probauerunt Deū habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum,

Rom. 1.